Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ex eisdem causis omnes habere posse hanc actionem.

De generali vel speciali iniuria quocumque modo in proximum facta.

Generaliter iniuria dicitur omne quod non iure fit. Specialiter alias contumelia que a contempnendo dicta est, vel culpa vel iniquitas et iniusticia. Cum enim iudex vel pretor non iure contra quemquam pronuntiat, iniuriam accepisse dicitur. Iniuria autem committitur non solum cum quis pugno inpulsus aut fustibus cesus vel etiam verberatus erit, vel etiam si alicui convicium dictum fuerit, vel sive cuius bona quasi debitoris quem nichil debere possessa fuerint ab eo qui intelligebat nichil sibi debere eum, vel si quis ad infamiam alicuius libellum vel carmen conscripsit, composuit, recitavit, dolo malove fecerit ut aliquid eorum fieret, sive sive si quis matremfamilias vel pretextatum pretextatamve assecutus fuerit, sive cuius pudicicia attemptata esse dicetur, et denique aliis pluribus modis admitti iniuriam manifestum est. Patitur autem quis iniuriam non solum per semetipsum, sed et per liberos suos quos in potestate habet. Item per uxorem suam. Id enim magis prevaluit. Itaque si filie alicuius que Ticio nupta est iniuriam feceris, non solum filie nomine tecum iniuriarum agi potest, sed et patris quoque et mariti nomine. Contra autem si viro iniuria facta sit, uxor iniuriarum agere non potest. Defendi enim uxores a viris, non viros ab uxoribus equum est. Sed et socer nurus nomine cuius vir in potestate est iniuriarum agere potest.

Atrox iniuria estimatur **De atroci contumelia, vulneratione vel dedecore facta.** vel ex facto, veluti si quis ab aliquo vulneratus fuerit vel fustibus cesus, vel ex loco, veluti si in theatro vel in foro vel in conspectu pretoris iniuria facta sit, vel ex persona, veluti si magistratus iniuriam passus fuerit, vel si senatori ab humili persona iniuria facta sit, aut parenti patronoque fiat a liberis vel libertis. Aliter enim senatoris et parentis, aliter extranei et humilis persone iniuria estimatur. Aliquando et locus vulneris atrocem iniuriam facit, veluti si in oculo quis percussus sit. In summa sciendum est de omni iniuria eum qui passus est posse vel criminaliter agere vel civiliter. Et siquidem si civiliter agatur, estimatione facta secundum quod dictum est pena reo imponitur. Sin autem criminaliter, officio iudicis extraordinaria pena reo irrogatur. Hoc videlicet observando quod Zenoniana constitutio introduxit, ut viri illustres quique super eos sunt et per procuratores possint iniuriarum criminaliter vel persequi vel suscipere. Non solum autem is iniuriarum tenetur qui fecit iniuriam, hoc est qui percussit, verum ille quoque tenebitur qui dolo fecit vel qui curavit ut cui pugno ma[la] percuteretur. Hec actio dissimulatione